



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

64. An qui mutilavit alterius pollicem, sit irregularis? Et quid dicendum est
de illo qui alteri abscindit auriculam, id est cartilaginem, ungues, dentes,
testiculos, barbam, capillos, labia, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et in hoc arbitrio Episcopi relinquendum sit, si hac deformitas inducat irregularitatem? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 61.

Respondeo negativè, dummodo non addit magna deformitas. Ita Tabiena *ver. corpore vitium*, num. 2. Sylvestre *eodem ver. quasi*, 3. num. 4. Avila *de censuris*, part. 7. disp. 13. dub. 1. coroll. 3. Henriquez *in summa* lib. 14. c. 8. num. 3. Filiaci *tom. 1. tract. 19. c. 6. num. 165*. Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tr. 2. c. 5. sect. 1. n. 46*. Campanili *in diver. jur. can. rubric. 11. c. 17. n. 113*. Belletus *in disquis. cler. part. 1. § 7. num. 33*. Sayrus *de cens. lib. 6. c. 8. n. 2*. Bonacina *de cens. disp. 7. quest. 2. punct. 1. num. 11*. & alii communiter.

2. Dices, quando hæc deformitas inducat irregularitatem, cuius arbitrio relinquendum est? Respondeo Episcopi ex c. 2. *de corpore vitium*, & ibi glossa cum Abbate, Butrio, & Cardinali, & ex Neotericis docent Ioan. de la Cruz *in directorio conscient. par. 2. tract. de irregular. dub. 2. concl. 2*. Molina *de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 70. num. 5*. Suarez *de censuris*, disp. 5. tr. 1. sect. 3. num. 16. Navarrus c. 27. num. 200. Menochius *volum. 1. conf. 99. num. 30*. & 31. Seraphinus *decis. 625. num. 4*. & alii.

3. An verò in casu nostro de quo consultus fui, addit magna deformitas, ut diximus, non est nostrum definire: sed si iudicium meum promere circa hoc adstrictus essem, responderem negativè, & ita intellexi à quodam Episcopo in simili casu fuisse dictum, & dispensatum. Adde quòd consulens ita abscondere potest in celebratione Missæ hunc defectum, ut circumstantes illum difficulter videre possint, & solum si ministraret aliis sanctissimam Eucharistiam appareret, quam functionem consulens facile potest omittere, salvo semper, &c.

RESOL. LXIII.

Qui in rixa præscindit alteri digitum, queritur, an sit irregularis?

Et quid est dicendum de illo, qui alteri abscindit auriculam, dentem, nasum, testiculos: vel mammillam feminæ, an incurrat irregularitatem?

Et notatur posse contingere, quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & e contra, & pro præxi adducuntur duo casus. Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 20.

Cajetanus, & Sotus apud Sayrum ubi infra affirmativè respondent, & novissimè docuit hanc opinionem, cum aliqua limitatione, Doctor Suarez in 3. p. tom. 5. disp. 44. sect. 2. n. 9. ubi ait. Non reputatur sufficiens ad inducendam irregularitatem, abscissio unius digiti, si sit alter ex duobus minimis, de quolibet autem aliorum mihi videtur res satis gravis, & ad minimum dubia, & dispensatione indigens. Putant igitur hi Authores ad irregularitatem satis esse, si pars quæ abscinditur specialem ad principalis membri munus cooperationem habeat. Secundò probatur hæc sententia. Nam si aliquis caret pollice, esset irregularis. Ergo, & qui pollicem abscindit, irregularis erit.

2. Verùm mihi contraria sententia probabilior videtur. Dico igitur absolutè non esse irregularem qui præscindit digitum, etiam contra Suarez, si esset pollex, vel index. Ita Sayrus *de cens. lib. 6. c. 15. n. 15*. & præter Doctores quos ipse citat, docuerunt etiam hanc sententiam Avila *de cens. disp. 5. sect. 2. dub. 1*. Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 10. § 14. num. 4*. Filiaci *in 99. mor. tom. 1. tr. 20. c. 1. n. 14*. & c. 9. n. 235.

Bonacina *de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. n. 8*. & alii. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi propter mutilationem alienius membri, sed digitus non est membrum, ut probat Bartolus, & DD. in l. publicorum, ff. de publ. iud. & alii apud Salzedum *in pract. crim. c. 101. fol. mihi 475*. Ergo, &c. Restat modò respondere ad argumenta contraria.

3. Ad primum dico, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet distinctum officium ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum, &c. si autem non habet speciale officium, quamvis opem ferat aliis, non dicitur propriè membrum. Probatur ex Auct. lib. 10. *de part. anim. c. 5*. dicente, quòd membra sunt in corpore operationis gratia. Et colligitur etiam ex D. Paulo 1. *Cor. 12*. dicente, quòd membra in corpore distinctam habent operationem: sed quia irregularitas, ut diximus, incurritur (& est certum) tantum propter abscissionem membri: ergo, quia sumus in pœnalibus, non erit extendenda ad abscissionem partis, licet principalis, & accessorie alicujus membri.

4. Ad secundum dico cum Covar. in *Clem. si furiosus*, p. 3. in initio, n. 8. corollar. Navarr. Henriquez, Filiacio, Sayro, Avila, & aliis communiter, posse contingere quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & e contra. Exemplum primi, ut qui præscindit alteri nasum, vel pollicem, ut in casu nostro, non manet irregularis, quia nasus, vel pollex non est membrum, & tamen præscissus manet irregularis. Idem est in eo qui impressit alteri cicatrices in vultu cum magna deformitate. Exemplum verò secundi est: ut qui præscindit alteri membrum virile, iste enim sit irregularis, quia mutilavit membrum: & tamen sic præscissus (si contingat absque propria culpa) non sit irregularis, c. ex parte, el. 1. *de corpore vitium*. Notent Confessarii, non esse etiam sup. his præ irregularem, qui abscindit mammillam feminæ, vel parte in Ref. seq. §. vi. à auriculam, id est, cartilaginem, quia solum deferuit princ. usque ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem, vel testicul. ad med. & in culos, absque membro genitali, vel nasum, ut ex §. 2. ad lin. Henriquez vult Avila ubi supra disputat, 3. dub. 1. quia 4. & inf. in istas partes, ut diximus de digitis, non sunt membra. Ref. 66. §. ult. Vide DD. citatos.

RESOL. LXIV.

An qui mutilavit alterius pollicem, sit irregularis?

Et quid dicendum est de illo, qui alteri abscindit auriculam, id est, cartilaginem, ungues, dentes, testiculos, barbam, capillos, labia, vel mammillam feminæ; vel qui excacat hominem, cum privando solo visu, non autem illi oculum extrahendo; & tandem qui non abscindit, sed tantum debilitat membrum, & reddit illud inutile? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 26.

Affirmativè respondet Cajetanus in 2. 2. Sup. hoc in 9. 68. art. 1. & Sotus *de iust. lib. 5. quasi. 2. Ref. præteri. art. 1*. quia putant illud esse membrum, quod habet officium disjunctum, vel conjunctum cum aliis membris, ut est digitus.

2. Sed tu contrariam sententiam tene. Nam membrum propriè dicitur illa pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus, ut sunt oculus, manus, pes, auris, membrum virile, &c. non autem digiti, etiam pollices, ungues, dentes, testes, barba, capilli, labia, &c. ita tenet Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 21. difficult. 19. num. 4*. Hurtado *de irregul. disp. 2. diff. 5. num. 18*. Præpos. in 3. part. quest. 5. dub. 10. num. 71. & alii, quos citat & sequitur Bonacina *de cens. disp. 7. quest. 4. punct. 8. n. 3*. qui nostram sententiam de pollice in terminis tenet, sicut etiam

Avila de censur. part. 7. disp. 5. sect. 1. dub. 1. & Megala in 3. part. lib. 7. c. 1. n. 3. & alii, licet Suarez & Valquez contrarium docuerint, ut notat Turrianus infra, & nostra opinio est fundata in doctrina Aristot. lib. 10. de part. anim. cap. 5. afferentis quod membra sunt in corpore operationis gratia.

Sep. hoc in fine ref. 1. net, praeferit, & in ref. 2. §. ult.

Sup. hoc in fine ref. praeferit.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 3. ref. 40. cursum in fine.

Sup. hoc in parte ibid. in §. ult. post mediu, vers. Vt autem.

3. Ex his inferitur primò non esse irregularem eum, qui alteri abscindit auriculam, id est, cartilaginem, nam ipsa solum deferuit ad ornatum & tutelam auris. Ita Avila loco cit. & Prapof. cum Turriano de cens. lib. 9. disp. 67. dub. 2. contra Navarrum & Suarez penes ipsum. Secundò nota non esse irregularem qui praescindit mammillam foeminae. Ita probabiliter Avila, Villalobos ubi supra, ex Covarr. & aliis. Sed contraria sententia est probabilior, quam docuit ex Valquez Turrianus loc. cit. & antea Molina tom. 4. tr. 3. disp. 69. num. 6. & alii. Tertiò nota cum Megala ubi supra, qui citat Toletum, non esse irregularem qui excacavit hominem, eum privando solo visu, non autem illi oculum extrahendo, quia sic non dicitur mutilasse membrum. Vide etiam Molinam disp. 68. Et tandem quartò nota non esse irregularem qui non abscindit, sed tantum debilitat membrum, & reddit illud inutile. Ita Megala num. 30. Villalobos num. 7. Avila & alii ubi supra.

RESOL. LXV.

An qui culpa sua ab alio fuit mutilatus, etiam si membrum sit oculum, & non impediat usum Ordinis, sit irregularis?

Et an ille, qui sibi sponte membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impotentia abscidit, sit irregularis, etiam si ex tali abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrandum? Ex parte 4. tractatu 2. Refol. 60.

S. 1. Affirmativè respondeo cum Molina de iustit. tom. 4. tr. 3. disp. 70. num. 18. ubi sic ait: Est observandum, si alicui ob suam culpam ac delictum membrum, aut pars membri abscindatur, sive à iudice, sive ab alio iniuste in vindictam delicti quod is commisit, aut quia ipse occasio fuit rixae in qua ei abscissum est membrum, aut pars membri, vel aliqua alia ratione dando operam rei illicitae, irregularitatem incurrere. Vnde DD. communiter affirmant, si adulterq, aut alteri inhonesto membrum virile, aut testiculi abscindantur in vindictam delicti quod commisit, irregularitatem eo ipso ejusmodi inhonestum incurrere. Sic Molina, & ante illum Sayrus de censur. lib. 6. cap. 7. num. 15. qui multos DD. citat, quibus addo Bonacinam de cens. disp. 7. quest. 2. punct. 2. num. 29. & 33. Reginaldum tom. 1. lib. 50. tr. 2. cap. 5. num. 47. Villalobos tom. 1. tract. 21. diff. 35. numer. 6. Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de irregularis. dub. 2. concl. 2.

Sup. hoc in ref. seq.

2. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam docent Prapofitus in 3. p. quest. 5. dub. 114. num. 117. & Hurtado disput. 2. de irregularitate, diff. 14. num. 52. Ratio est, nam, ut ex Suarez de censur. disp. 51. sect. 2. num. 8. observat novissimè Turrianus de censuris lib. 9. disputat. 62. dub. 4. si jura imponant hanc irregularitatem in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum mutilandi ex indignatione, aut aliquo zelo indiscreto, ut colligitur ex cap. si quis 1. 2. & 3. & cap. is qui, distinct. 55. & cap. maritum, distinct. 33. & can. 22. & 23. Apostolorum, & in cap. ex parte, pendenda sunt illa verba, affectaverint, &c. & verba, in hac materia sicut in materia de cens. Secundum proprietatem sunt

explicanda. Hæc Turrianus. Cum igitur clarum sit quod irregularitas non incurritur nisi sit in iure expressa, & irregularitas, de qua loquimur, minime in iure, ut dictum est, expressa videtur; ergo illam non incurrit dicendum erit, & hanc sententiam videtur etiam docere Acugna in Decret. part. 1. diff. 33. cap. 2. num. 6. ubi docet hanc irregularitatem incurrit propter culpam activæ abscissionis. Vide etiam Cominelli disput. 18. dub. 14. num. 108. qui putat affirmativam sententiam universaliter non esse veram, sed tantum quando defectus mutilationis, seu abscissionis ipsi mutilato in se, vel in causa fuit voluntarius, juxta illa, quæ tradit n. 64. 67. & 74. Sed, ut dixi, ego primam sententiam teneo.

3. Notandum est hic obiter illum qui sponte sibi membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impotentia abscidit, irregularem esse, etiam si ex tali abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrationem, ut patet in cap. qui partem 6. diff. 55. Attamen non desinam hic adnotare quod multi ad incurrendam hanc irregularitatem requirebant notorietatem facti, scilicet abscissionis ex indignatione & impotentia. Ita Tannerus in 3. p. disp. 6. §. 10. dub. 10. num. 188. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 5. num. 4. Vgolinus de irregularitate cap. 5. n. 1. Bartholomæus ab Angelis in exam. ordin. Dialog. §. 1. §. 8. Et licet hæc opinio sit probabilis, contraria tamen non requirere hanc notorietatem est probabilior, & ita inter alios tenet Fernandez in exam. Theolog. moral. parte 2. cap. 10. §. 7. num. 1.

RESOL. LXVI.

An abscissio alicujus membri facta invito inducat ipsi patienti irregularitatem, etiam si id ob culpam passus sit?

Et an testiculorum abscissio etiam volumaria inducat irregularitatem?

Et notatur, quod abscissio digitorum, & cartilaginis auris, nasi, & testiculorum, inducit irregularitatem.

Etiamque docetur, quod licet qui alterum castrat, non sit irregularis, tamen qui se ipsum castrat, aut se castrari permittit, est irregularis. Ex p. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 21.

S. 1. Casus mihi propositus, fuit talis. Cuidam sup. hoc in ref. seq. invento cum adultera, vit amputavit testem, vel partem testis, ita ut abscissio testis non possit ordinari? Aliqui Theologi responderunt, remansisse irregularem. Sed ego consulentibus dixi, negativam sententiam esse probabilem, & adduxi Lessium in 3. p. D. Thomæ, capite 7. de irregular. dub. 1. n. 54. sic asserentem. [Cui invito ab alio membrum abscissum est, non est irregularis, etiam si id ob culpam passus sit; nisi inde sit notabilis deformitas, & ineptitudo. Est contra Navarrum num. 108. & quosdam alios: sed tenent multi recentiores; nusquam enim in iure id est expressum, ut si ab hoste, vel inimico sis mutilatus ob fidem illi injuriam; si in duello sis mutilatus; si à marito adulteræ inventus in adulterio sis mutilatus. Quod si à iudice sis mutilatus per sententiam, non tamen es irregularis ob mutilationem, quam ob infamiam juris, quam per sententiam incurristi.] Ita Lessius.

2. Adde etiam, quod non desunt Doctores asserentes, testiculorum abscissionem, etiam voluntariam non inducere irregularitatem; & ita docet Hurtadus